DE

# PNEUMONIAE CURANDAE METHODIS NONNULLA.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. AUGUSTI A. MDCCCL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**HENRICUS GRASSO**
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
E. BRISKEN, jur. Stud.
L. SANDMEYER, pharm. Cand.
H. STRUCK, med. et chir. Cand.

**BEROLINI,**
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

# PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

NEC NON

VIRO AMPLISSIMO

PATRUO MAGNO CARISSIMO

# PHILIPPO GRASSO

MEDICO PRACTICO, EQUITI CET.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Haud sane mihi adnotandum esse videtur, minime id me egisse, ut hac scriptione, arctissimis circumscripta finibus, ab omni parte considerarem pneumoniae curationem! Quod mihi ut assumerem, tantum abfuit, ut diligentius indagarem, quid sit boni, quid mali in nonnullis hujus morbi curandi methodis, quae saepe adhibitae sunt hodieque adhibentur. At non censebo, nisi eas, quas haud amplo sane rerum usu nutritus ipse quodammodo expertus sum.

Quae verba praecipienda erant, ne quis, me de hac re cum temeritatis nota scripsisse, argueret.

---

Indicationes in pneumonia genuina (complicationes omnino in animo est omittere) nobis occurrentes aliae aliis in morbi stadiis; quas his potissimum tribus complecti licet:

1) congestione resolvenda et exsudatione impedienda,

2) inflammatione tollenda et, ne amplior fiat, providentia,

3) augenda resorptione et exscreandis materiis exsudatis.

Itaque adumbraturus sum singulas methodos et remedia, quae ut satisfiat his indicationibus, adhibita sunt, et in primis de sanguinis detractione disseram. —

Nescio an ullum sit remedium, de quo unquam, praecipue quod attinet ad eum, quem praescripsimus morbum, tam inter se contrariae ac diversae medico-

rum sententiae fuerint, quam de sanguinis missione, inprimis de venae sectione. Quam, summis laudibus elatam ab aliis, alii inutilem, quin perniciosam aut omnino aut nonnullis cum exceptionibus repudiarunt; novissima nostra aetate adeo medico docto atque erudito haud dignum medicamen exprobrarunt.

Alienum est a nostro proposito, in causas inquirere, unde hae diversissimae opiniones atque sententiae proficisci potuerint; at, ut breviter eas proferam, sunt potissimum hae: varia systemata et sententiae medicorum de vi ac natura morborum, inscitia effectuum venae sectionis in organismum et genii morborum epidemici et endemici mutationes. —

Quod pertinet ad id, quod extremum posui, optandum certe videtur, ne prius schola, quae Vindobonensis vocatur, glorietur eventu experimentorum, quae in numero solo versantur. —

Quamquam viri docti in alienissima quaeque de venaesectionis aut utilitate aut vi noxia abeunt, in eo omnes certe consentiunt, maximi momenti ejus in organismi actiones esse vim, variam quidem pro sanguinis detracti copia. Quo magis mirandum est, si videmus, quam negligenter plerumque sanguinis mittendi

portio a medicis praescribatur. Qui in aliorum medicaminum portiones circumscribendas nimiam diligentiam conferentes, sanguinis mittendi quantitate definienda acquiescere solent, cum chirurgo vel tonsori portionem suo quisque arbitrio sufficientem, et, id quod gravissimum est, addita mensura minime circumscripta, indicarunt. Quum autem in universum fieri non possit, ut a priori sanguinis mittendi quantitas indicetur, quae pro casu quoque necessaria est vel admittenda, quam futilis eorum ista consuetudo est rejicienda!

Hippocrates jam debito usus est judicio de venae secandae administratione, pro inflammationis impetu sanguinem detrahens, gravioribus in casibus usque ad adynamiam incipientem. Multi alii postea leges ad praxin aptas dignasque imitatione constituerunt. Quaestiones autem, quod attinet ad praxin, accuratius compositae sunt demum aetate recentiori. Ut alios omittam, Nasse et Zimmermann in primis magnum studium in hanc rem converterunt; quorum etiamsi experimenta nondum valuerunt admodum ad praxin, ex iis uberius institutis multa tamen commoda profectura esse, speramus.

Plane contra ad usum transferenda experimenta

sunt, quae Marshall-Hall (Ueber Blutentziehungen. Deutsch von Bressler. Berlin 1837) alia ratione fecit, ex quibus methodus singularis exstitit, cujus virtutes primum in nosocomio Ill. Pfeuffer mihi probatas postea saepe expertus sum. —

Sententia M. Hall sanguinis mittendi portio ex iis, quae inter effluvium exsistunt, symptomatibus, definienda est; plerumque usque ad adynamiam incipientem ut sanguis detrahatur praecipit. Qua in re haec sunt providenda: Vena incidatur statu corporis erecto. Quod cum aegrotis plerumque molestum sit, imo propter imbecillitatem interdum fieri non possit, amplecti certe debemus Pfeufferi praeceptum, ut aegrotus in lecto corpore erecto sedeat supinaque facie, et sanguinis profluvium impediatur, simulac appareant livor faciei, oscitatio, nausea, vertigo, sudor frigidus in fronte. —

Deinde cavendum est, ne venae vulnus sit nimis parvum. Periculose sanguis mittitur usque ad adynamiam incipientem, si nimis tarde effluit; ita enim multo plus sanguinis detrahitur, quam si celeriter emanat et nimium quidem pro viribus corporis. —

Praeterea M. Hall curam impendi jubet, ut aegroti

pedes caleant, quod alioquin vires facile deficiant, priusquam sanguinis copia sufficiens detracta sit. —

Jure huic methodo objici potest, usu cognitum haberi, haud paucos homines animo jam linqui post aliquot sanguinis uncias elapsas propter commotionem, taedium atque anxietatem, quae operatione excitantur. His autem multum sanguinis detrahi potest, postquam viribus collectis vena iterum secta est.

Paucis in aegrotis tantum usu evenit, ut, priusquam animus deficiat, nimium sanguinis pro organismi viribus mittatur. Hall certe comprobat, nunquam illud se expertum esse. —

M. Hall ex iis, quae experimentis et diuturna observatione cognita habet de hoc argumento, concludit, sanguinis quantitatem, methodo supra adumbrata mittendam, morbi conditiones sequi, quoniam symptomatum gravitati aeque ac corporis viribus respondeat.

Ejus experimenta mox ab aliis repetita et comprobata sunt. Lawrence (l. c. p. 126.) admodum favet eorum sententiis, qui magnum sanguinis pondus una esse detrahendum contendunt diserteque recusat frequentes venaesectiones, quibus pauxillum tantum

mittitur, quin effluere sanguinem concedit, donec, nulla prohibendi arte adhibita, fluere desinat. Nec minus Warry (l. c. p. 127) sententiam supra expositam sequitur. —

In Germania haec venae secandae methodus nondum a multis recepta est. Mihi quidem persuasum est, convalescentiae stadium multo minus extendi, neque adeo saepe valetudinem infirmam atque aegram tam longum per tempus relinqui post pneumonias, si pro sanguinis missionibus tam exiguis, quae ter per diem interdum repetuntur, una largior fiat. —

Complures sanguinis minoris ponderis detractiones aegroti vires attenuant; minime autem morbus levior redditur neque in melius mutatur subito, sicuti effluxu uberiore fieri solet. Quocirca coguntur medici, aliquot post horas venae sectionem iterum saepiusque repetere, ita ut aegrotus paulatim magnam sanguinis copiam amittat, quo vires tantopere debilitantur, ut, si mortem non occumbit aegrotus, nonnisi longo tempore interjecto plane restitui possit. —

Sanguinis quantitas, in pneumonia vigente, ut prima adynamiae signa oriantur, mittenda admodum varia est. Juvenibus robustis plerumque unciae 24—36 sunt de-

trahendae; feminis minus pondus quam viris; homines laute viventes magis resistunt, quam invalidi, debiles, enervati. Qua ex re intelligitur, Britannos, maximam partem carne vescentes, corporis inflammationibus obortis, multo plus sanguinis sine detrimento amittere posse, quam nos. —

In senibus magna adhibenda est providentia, et pro venae sectione saepe sanguisugae substituantur necesse est, quia, quae nimis debilitat, tractatione saepe non recreantur, facileque accidit is morbus, qui catarrhus suffocativus senum vocatur. Infantibus nunquam vena incidatur, quamquam a multis permittitur. Pneumoniae eorum genuinae haud periculosiores esse solent, quod e causis non satis cognitis et exploratis, exsudata in his deposita plerumque serosa, contra in bronchorum et tracheae inflammationibus fibrinosa sunt. —

Ut credam, unamquamque pneumoniam curandam esse sanguinis missionibus, tantum abest, ut contendam, saepe nobis occurrere casus, in quibus non necessariae, certo non methodo supra laudata instituendae, nonnullos quoque, in quibus omnino perniciosae maximeque periculosae sint. Quos invenimus in hominibus anguste

misereque vitam degentibus et in iis, qui solis fere herbis vescuntur; quin epidemiae exsistunt, in quibus status nervosus cum magno virium collapsu inde a morbo incipiente adeo praevalet, ut sanguinis detractiones aliaque, quae debilitent, medicamina adhibere non liceat, nisi maxima cum cautione. In his casibus pulsus inter effluvium mutatio naturalis quaedam norma est sanguinis mittendi.

Quod attinet ad tempus, quo sanguis detrahatur, de quo accurate ad dies definiendo diu multumque disputatum est, in eo certe plurimi nostrae aetatis medici consentiunt, quam primum fiat. Docuit enim usus, multo minus sanguinis detrahi necesse esse, quum in congestionis stadio vena solvatur. Equidem nonnullis in casibus, quibus sanguis uberius missus est in hoc stadio, expertus sum, congestionem post aliquot dies solutam aegrotosque plane sanatos esse. —

Hall et Lawrence quoque nonnullas curationes memorabiles hac ratione effectas prodiderunt. (L. c. pag. 126 sqq.)

Nonnulla jam dicam de venaesectionis repetitionibus. Medici, qui magnas sanguinis missiones metuunt, loco earum crebriores adhibere solent, et, quod horri-

bile est dictu, fere tot quidem interdum, quot dies morbi adfuerunt. Si convaluerunt aegroti longo tempore interjecto a debilitate inde profecta, nimirum iis persuasum est, extremo in vitae periculo eos fuisse nec sanari potuisse, nisi multis adhibitis venae sectionibus. Verum quum mortem occubuerunt, animis tranquillis V. Sectionum in tabula vel ephemeride conscriptarum copiam respiciunt, dicentes: nihilominus diem supremum obiit. —

M. Hall contendit, generatim sententiam valere: sanguinis profusiones tolerari, quamdiu necessariae sint et necessarias esse, perferantur. Etiamsi libenter concesserim, priorem probandam esse sententiam, tamen posteriorem addubitaverim. Aegroti saepe, multo jam sanguine misso, profusionem exiguam vel etiam majorem pro temporis momento facile sustinent, aliquot post dies demum confectionis symptomatis orientibus, postquam febris remissa est. Infra ad hoc argumentum rediturus sum. —

Ex nonnullis morborum historiis, quas Hall scripsit, elucet, eum una eademque in pneumonia saepius (sexies vel octies) venam percussisse.

Wardrop contra aliam sententiam amplexus esse

videtur, id quod ex iis, quae subsequuntur, verbis apparet:

„Ich habe beobachtet und auch von Collegen vielfach bestätigen gehört, dass diejenigen Entzündungskranken auch am raschesten genesen, bei denen man reichlich und selten Blut entleert; während bei denen, die selbst eine grössere Blutmenge, aber durch öfter wiederholte kleinere Aderlässe verlieren, die Genesung nur langsam von Statten geht, und häufig eine krankhafte Veränderung des ursprünglich afficirten Organs zurückbleibt.“ (L. c. pag. 149.)

Equidem, qui mihi est rerum usus, plane Pfeufferi sententias de hac re sequar, quas his paucis complecti licet: ad pneumoniae curationem bene instituendam maximi est momenti, ut haec duo praesertim stadia distinguamus: prius, in quo magna nervorum irritatio paucis cum exsudatis, alterum, in quo exsudata multa cum exigua irritatione. —

Si primo in stadio post sanguinem uberius missum valetudo ad melius jam vergens, aliquot horis praeteritis recidit in pejus, quam celeriter vena secanda est iterum; tertium per exceptionem tantum. Nihilominus autem cum inflammatio latius propagatur, hirudines ap-

plicandae sunt, quia sanguinis majore pondere detracto nimis organismus debilitatur, quam ut stadium secundum perferat: hoc enim eo facilius sustinetur eoque minus funestum est, quo minus sanguinis in primo stadio est amissum: facillime, si omnino non vena secta neque inflammatio latius pro pulmonum functione extensa est. —

In stadio secundo venae sectio non amplius est adhibenda; subito enim prostratio omnium virium subsequitur et inanitionis symptomata exsistunt. Hirudinibus sanguinem minuere licet, quum, exsudatis in partibus primo affectis jam liquefactis, congestio vel inflammatio permaneat. Haec quidem inflammatio ipsa permanens corpus defendit a virium collapsu, qui alias oriturus esset. —

---

Aptum mihi videtur, hoc loco nonnulla verba supplere de tractando stadio, multis cum exsudatis et irritatione a me supra dicto. —

Multi medici arbitrantur, pneumonias non plane sanatas esse, nisi aegrotis remedia quaedam expecto-

rantia, quae vocantur, dederint. Quae quam supervacanea sint, jam ex eo intelligitur, quod raris in casibus aegroti curantur sine ullis sputis coctis exscreatis. Hae autem, quae exscreantur, e bronchiorum membrana pituitosa solum oriuntur. Ea, quae in pulmonum cellulas aëriferas exsudata sunt, per bronchia e causis, a doctrina quae dicitur physica petitis, submoveri haud possunt. —

Permutationes eorum disquisitionibus anatomicis nostro aevo institutis satis comprobatae sunt.

Superficies granosa, quae in pulmone dissecto invenitur in stadio hepatisationis rubrae vocato, nascitur exsudatis, quibus vesiculae aëriferae impletae sunt. Grana singula liquore, qui appellatur emulsivus, paulum glutinoso circumdata sunt, qui constat ex epithelii cellulis in adipem commutatis. Postea grana quoque exsudata in pus vertuntur; quo item in adipem mutato, liquor emulsivus exsistit, qui vasis lymphaticis vel venis resorbetur. —

E quibus sequitur:

primum: exsudata e vesiculis aëriferis per bronchia removeri non posse, quia post vel juxta ea aër haud invenitur;

deinde: ea contra via, qua posita sunt, exsudata auferri;

tum: remedia expectorantia ergo nihil valere posse ad ea removenda. —

Quae omnino adhibenda non sunt, nisi aliae indicationes adsint, in quarum numero hae sunt habendae: prostratio virium universa, contractionis bronchiorum vis imminuta, nimiaque muci secretio in iis. —

His in conditionibus, quae omnes pendent ex organismi debilitate, id maxime videndum est, ut simul causa prima tollatur, id quod remediis roborantibus efficiendum est. —

---

Pechier et Laennec ad curandam pneumoniam tartari stibiati magnas doses adhibuerunt. Num hoc remedium praeter vim laxantem primarie et specifice, ut ita dicam, ad resorptionem augendam valeat, in suspenso relinquam, sed pro explorato habendum est, multum valere ad pulmonum inflammationes sanandas.

Remedio enim per aliquot dies adhibito, haec symptomata exsistunt, quae resorptionis signa sunt. Pulsus

lentus, debilis, parvus redditur, febris remittit, partes membrorum extremae frigescunt, facies pallescit et collabitur. —

Qua de causa tartarus stibiatus una cum venae sectione adhibitus adjumentum praesens est ad pneumonias sanandas, et in casibus gravioribus nec non genio morborum inflammatorio vigente profusiones sanguinis iteratas supervacaneas reddit. —

Sed nonnulla de hoc medicamine adnotanda sunt. Cum aegrotus alvum habet laxam, minime est adhibendum. Magnum quoque detrimentum inferre potest, si magnae doses diutius adhibentur; facile enim ulcera ventriculi exsistunt. Qua de re suadendum est, ut ineunti morbo majores doses proponantur (pro vario symptomatum gradu inde a sex usque ad duodecim grana in aqua mucilaginosa soluta per diem sumenda) sensim autem doses minuantur. —

Similes effectus, quamvis minores, aliis certo salibus laxantibus quoque proferuntur. Plerique autem medici tartarum stibiatum iis praeferunt propter vim emeticam, vel aliis de causis. —

Remedia narcotica, praecipue quidem opium, a medicis illustrissimis recte panacea nominatum, sine quo, ut Sydenham profitetur, ars vigere non potest, in pneumonia, sicuti in omnibus fere morbis, adhibere licet, et in unoquoque quidem stadio conditiones incidere possunt, quibus illa adhibeantur necesse est. —

Rasori recto judicio usus est suadens, ut remediorum narcoticorum applicatio contra pulmonum inflammationes latius extendatur; sed rem non ab omni parte pensitavit. Retundere voluit stimulum inflammationis, uti ait, sperans fore ut, eo hebefacto, morbus minuatur et subsistat. Unum proinde praesertim inflammationis symptoma, dolores et nervorum irritationem, impugnavit. —

Usu cognitum est, inflammationes dolore valde augeri, quin provocari posse, nec minus constat, illo sublato eas minui et tolli. Id quod bene comprobatur hoc, quem observavi, casu:

Apud puellam neuralgia intermittens nervi infraorbitalis exorta est; nonnullos post dies tumor inflammatorius, qui appellatur, in regione infraorbitali accessit, qui unaquaque doloris tentatione accrevit; simul

dolores vehementiores evaserunt, uti affectio nervi primaria et tumor mutuo sese evehere viderentur. Aliquot chinini dosibus adhibitis et neuralgia et tumor abierunt. —

Saepe nobis occurrunt casus, in quibus e causis rheumaticis dolor loco fixus exsistit, ad quem mox tumor inflammatorius accedit, qui sine ullo alio medicamine solis narcoticis brevi tempore sanatur. Eadem ratione his remediis externe applicatis rheumatismum articulorum acutum sanari, nec minus belladonna gastritidem chronicam, verisimile est.

Rasorii consilio igitur nec rationes nec specimina desunt.

Nonnulla remedia narcotica praesto nobis sunt, quae cordis praesertim actiones imminuunt, in quorum numero digitalis purpurea prae ceteris est nominanda. Eo ad pulmonum affectiones sanandas valet, quod sanguinis impetum frangit et totius nervorum systematis irritationem minorem reddit; quod quidem plerumque spatio complurium dierum interjecto demum efficitur, quin omnino desideratur. —

Urinae secretio aucta, quam nonnulli magni momenti habent, non fit, priusquam cordis actio imminuta

est, ita ut concludere liceat, diuresin non augeri, nisi antagonistice, ut ita dicam, sanguinis congestione ad corporis superficiem imminuta.

Itaque quum digitalis medicina minime certa ac praesens in morbo tam gravi et acuto sit, in stadio congestionis et exsudationis alia magis valentia remedia ei subroganda sunt; neque adhibeatur, nisi quum exsudata copiosiora longius per tempus remaneant, aut quum in resorptionis stadio status erethicus praevaleat. —

De remediis narcoticis generatim censuerim, ne adhibeantur, nisi ad removenda symptomata quaedam ex nervorum irritatione pendentia; his autem sub conditionibus illis omnino carere non possumus. —

Adhibendi opii methodum unam etiam commemorem necesse est, dignam, quae latius cognita sit. Huxham primus illam applicari jussit secundum sanguinis missionem. Sydenham post quascunque evacuationes, ut post vomitum, post laxantia remedia, nec non venae sectionem plenam dosin dari suasit. Copia mihi facta est, magna hujus rationis commoda comprobandi et in pneumonia et in aliis morbis inflammatoriis. Venae sectionis effectus quasi protrahuntur. Pectoris sublevatio inde orta permanet; aegroto plerumque somnus placidus

supervenit, sudor lenis emittitur, pulsus aequalis, parvus, haud suppressus invenitur et, quod maximi est momenti, aegrotus ipse longius per tempus se sublevatum sentit. —

---

Impeditus, quominus plura de argumento, quod proposui, conscribam, haec pauca verba addam. Medici vere rationalis est, non temere methodum quandam, magna voce a nonnullis certissimam praedicatam, vel unam eandemque, quamvis crebro efficacem, semper sequi, sed, bene memorem, non morbos sed aegrotos esse sanandos, pro casu quoque eam methodum eaque remedia adhibere, quae ratione et experientia probantur.

# VITA.

Franciscus Philippus Henricus Grasso, fidei addictus catholicae, natus sum Beverungae Guestphalorum, quod oppidum ad Visurgim est situm, patre Antonio, civitatis praefecto et consule, matre Victoria, e gente Wellen, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Primis litterarum elementis in schola oppidi patrii imbutus, anno MDCCCXLII gymnasium Paderanum adii, quod Ill. Gundolf directore atque auspice tum florebat, et per quatuor annos frequentavi. Maturitatis testimonio munitus mense Octobri anni MDCCCXLVI Gissam me contuli, ubi ab Ill. Umpfenbach, rectore magnifico, in numerum civium universitatis litterarum Ludovicianae receptus apud Ill. Nebel, decanum ordinis medicorum, nomen rite professus sum.

Per tria semestria ibi versatus his interfui scholis: Ill. Bischoff de anatomia hominis, de anatomia et

physiologia organorum sensuum, de anatomia comparata. Idem mihi dux fuit in cadaveribus secandis.

Ill. Buff de physice.

Ill. Hillebrand de logice et psychologia.

Cel. Hoffmann de botanice.

Ill. Liebig de chemia experimentali.

Ill. Phoebus de fontibus medicatis.

Cel. Schwager-Bardeleben de osteologia, de histologia, de zoologia.

Ill. Will dux mihi fuit per praxin in chemia analytica.

Inde mense Aprili a. h. s. MDCCCXLVIII ad universitatem litterariam Heidelbergensem profectus a rectore magnifico Rothe numero civium academicorum adscriptus sum et per duo semestria has scholas frequentavi:

Ill. Chelius de chirurgia generali et speciali.

Ill. Pfeuffer de materia medica, de therapia generali, de pathologia et therapia speciali.

Ill. Henle de physiologia et de pathologia generali.

Ill. Naegele sen. de arte obstetricia.

Cel. Naegele jun. de operationibus obstetriciis et de semiotice obstetricia.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Pfeuffer, obstetriciis Ill. Naegele.

Quibus scholis absolutis Berolinum urbem petii mense Aprili, ubi Ill. Nitzsch rector magnificus almae universitatis Fridericae Guilelmae me recepit et Ill. Ehrenberg decanus maxime spectabilis gratiosi medicorum ordinis numero medicinae studiosorum me adscripsit.

Per semestria tria circa has scholas adii:

Ill. Casper de medicina forensi.

Exper. Ebert de semiotice.

Ill. Dove de meteorologia.

Ill. Schmidt de institutis, quae nostri aevi humanitate ad sublevandam miseriam fiunt.

Cel. Virchow de anatomia pathologica.

Ill. Weiss de mineralogia.

Scholis praeterea interfui clinicis medicis Exp. Ebert, Ill. Romberg, Ill. Schoenlein, chirurgicis Ill. Juengken, obstetriciis Ill. Busch. —

Quibus viris omnibus illustrissimis, honoratissimis, optime de me meritis, gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

1. Amaurosis non est morbus, sed symptoma morbi.
2. Ferrum sanguini non „metallice," uti aiunt, cum proteino conjunctum inest.
3. Tunicam deciduam reflexam nego.
4. Foetus liquore amnii alitur.
5. Nullum signum virginitas certum.
6. Diaeta maximi est momenti in sanandis morbis.